

**XXXII**

AD LYRAM

*Strophe Sapphica*

Poscimur. Sī quid vacuī sub umbrā  
Lūsimum tēcum, quod et hunc in annum  
Vīvat et plūrēs : age dīc Latīnum,  
Barbite, carmen,

Lesbiō primum modulāte cīvī ;  
Quī, ferōx bellō, tamen, inter arma,  
Sīve iactātam religārat ūdō  
Lītore nāvim,

Liberum et Mūsās, Veneremque et illī  
Semper haerentem puerum canēbat,  
Et Lycum nigrīs oculīs nigrōque  
Crīne decōrum.

Ō decus Phoebī et dapibus suprēmī  
Grāta testūdō Iovis, ō labōrum  
Dulce lēnīmen, mihi cumque, salvē,  
Rīte vocantī !